



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De Missa non celebranda, nisi in sacrato loco. Ivii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

riam martyrum, claritati eorum adiungant insaniam, placet eos si laici sunt ad poenitentiam redigi: si autem sunt clerici, post commonitionem honore priuari. Vniuersi dixerunt: Rectè stabit sanctitas vestra. Hoc & singulis conciliis statutum est.

Vt missarum solennia non vbique, sed in locis ab episcopo consecratis fiant. Cap. LV I.

Missarum solennia, non vbique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, vt sicubi, quod nostris peccatis exigentibus per plurimum est factum, à Nordinanis, & à Slauis, & ab Vngaris, & à malis Christianis, seu alio qualicumque modo Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ, in cappellis cum tabula consecrata, Missas interim celebrare permittimus, donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, vt sub dio seu in tentoriis item si tabula altaris consecrata, cæteraque sacra mysteria ad id officium pertinentia adfuerint, Missarum solennia celebrare concedimus, aliter omnino interdiciamus.

De Missa non celebranda, nisi in sacro loco.

Cap. LVII.

SCRIPTA sanctitatis vestræ, quæ ad sedem apostolicam misistis super quibusdam consultis, quasi ad caput, vt inde acciperetis responsa, vnde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepi, & breuiter vobis respondere curavi. De Ecclesiarum enim consecratione, & de Missarum celebrationibus non aliubi, quàm in sacris domino locis absque magna necessitate fieri debet, liquet omnibus quibus sunt nota noui & veteris testamenti præcepta. Tabernaculum verò Mosen domino præcipiente fecisse, & sacrasse cum mensa & altari eius, & æreis vasibus, & vtenfilibus, ad diuinum cultum explendum legimus, & nõ solùm diuinis precibus se sacrasse, sed etiã sancti olei vnctione domino iubente perlinisse nouimus. Qualiter autem hæc facta sunt, & nõ alii ipsa sacra quam sacerdotes sacra vnctione delibuti, dominoq; cum vestibus sanctis sacriati & leuitæ tractabant, ferebant, erigebant, & deponebant, in ipsis institutionibus quæ iubente domino per Mosen conscriptæ sunt in lege domini reperitur.

M

*Ex cõcil.
Triburiẽ
si, cap. 4.*

*Ex decr.
Felicis 4.
pape omnibus
Episcopis
missis.*

Qualiter ergo Dauid regum piissimus ampliauerat cultum Dei, & templum domini ædificare voluit, sed propter multum sanguinem quæ effuderat, prohibitus est, & ipse conlegerat expensas. Salomon quoque filius eius idipsum quod ipse facere oportauerat, iubente & auxiliante domino, perfecit, & templum cum altari, & reliqua ad diuinum cultum peragendum consecrauit.

De eadem re. Cap. LVIII.

*Ex epist.
Felici 4.
pape omnibus
Episcopis
missa.*

Iudæi ergo loca in quibus domino sacrificabant diuinis habebant supplicationibus consecrata, nec in aliis quam Deo dicatis locis munera domino offerebant. Scimus enim Iudæi, qui vmbra legis deseruiebant hæc faciebant multo magis quibus veritas patefacta est, & gratia, & veritas per Iesum data est, templa domino ædificare, & prout ut melius possumus ornare, eaque diuinis precibus & sanctis vnctionibus suis cum altaribus & vasis, vestibus que & reliquis ad diuinum cultum explendum vtenibus deuotè & solenniter sacrare, & non in aliis locis, quam in domino sacratis ab episcopis, & non à chorepiscopis qui sæpe prohibiti sunt, nisi, vt prædictum est, summa urgente necessitate, Missas celebrare, nec sacrificia domino offerre debemus. Et hoc, nisi summa necessitas agere compulerit, non in domibus: quia in sacris canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt, sed in tabernaculis diuinis precibus à pontificibus dicatis, & in mensis domino sacratis, & sacra vnctione à pontificibus delibuta pro summa, vt præfixum est, necessitate. & non pro libidine cuiusquam, & pigritia agatur. Satius est missam non cantare, aut non audire, quam in his locis, vbi fieri non oportet fore, nisi, vt sæpe dictum est, pro summa contingat necessitate: quoniam necessitas legem non habet. Vnde scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quæ videris sed in loco quem elegerit dominus Deus tuus. in Exodo legitur: Vos vidistis, quia de cælo loquutus sum vobis: Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super ea holocausta, & pacifica vestra. Oues vestras in omni loco quo memoria fuerit nominis mei. Et sicut non alii quam facti domino sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia